Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

51

carnis non subierat quia nec indumentum susceperat. magnus hominibus videbatur
princeps in legionibus demonum per quos fallaciarum regnum exercet. Sic
hominem per elationem tifi sui potentie quam iustitie cupidiorem aut per falsam
philosophiam magis inflans aut per sacra sacrilegia irretiens in quibus etiam
magice fallacie curiosiores superbioresque animas deceptas illusasque
precipitans subditum tenet. pollicens etiam purgationem anime per eas quas teletas
appellant transfigurando se in angelum lucis per multiformem machinati-
onem in signis et prodigiis mendacii. **De facilitate ludificationum**
Facile est enim spiritibus nequissimis per aeria corpora **quibus homines inmundi spiritus falli**
facere multa que mirentur anime terrenis corporibus aggravate etiam melioris xi.
affectus. Si enim corpora ipsa terrena non nullis artibus et exercitationibus mo-
dificata in spectaculis theatricis tanta miracula hominibus exhibent. ut
hi qui numquam talia viderunt narrata vix credant. quid magnum est di-
abolo et angelis eius de corporeis elementis per aeria corpora facere que caro miretur.
aut etiam occultis inspirationibus ad illudendos humanos sensus fan-
tasmata imaginum machinari quibus vigilantes dormientesve
decipiat vel furentes [...] exagitet. Sed sicut fieri potest ut homo vita
ac moribus melior [...] spectet nequissimos homines vel in fune
ambulantes vel mul[...]timodis motibus corporum multa incredi-
bilia facientes. nec [...] ullo modo talia facere concupiscat nec eos
propterea sibi preponendos [...] existimet. sic anima fidelis et pia non solum
si videat verum etiam si [...] propter fragilitatem carnis exhorreat miracula
demonum. non ideo tamen aut non se posse talia dolebit aut ob hoc illos
meliores esse iudicabit. cum sit presertim in societate sanctorum. qui per virtutem
dei cui cuncta subiecta sunt et minime fallacia et multo maiora
fecerunt sive homines sive angeli boni.
**De falsis et deceptoriis purgationibus.**